salutavitque nos pacifice et singulos ad osculum more eorum recepit, in quo etiam confregit corda nostra et omnem spem nostram in eum posuimus. Ostendimus ergo sibi litteram Soldani, et consilii fuit, quod omnino eam dominis scrutatoribus ostenderemus, consolatus est etiam nos de visitatione dicens, se velle apud dominos instare, ne inhoneste nos tractarent, dictum enim erat nobis, quod etiam in secretioribus locis corporum lapides pretiosos quaererent. Nihilo minus tamen animavit nos ad patientiam dicens, quod ritus antiquus civitatis Atheniensis adhuc in hac civitate servaretur, nam quicumque Athenas ingredi volebat, senes in porta sedentes conviciebantur eum factis et verbis, molestabant etiam usque ad contumelias, et patientes intromittebantur, impatientes bene vexati repellebantur. Sic et hic: omnes intrantes perscrutantur et maxime illi, qui impatienter ferunt, quos quandoque spoliatos redire compellunt. Cum ergo cameli omnes pertransissent, consederunt domini inter interiorem portam sub turre ipsius portae et assumsit Schambeck aliquos de senioribus peregrinis et ingressus cum eis ad dominos obtulit eis litteram domini Soldani, qui accipientes litteram cum reverentia multa deosculabantur eam et legerunt. Perlecta littera aliqui eorum exierunt ad nos et singulos saccos et sportas primo levaverunt gravitatem pensantes et deinde quaesiverunt, non tamen exacte, sed satis perfunctorie, nec omnia ligata solverunt, sed cum festinantia egerunt. Rebus visitatis stabant sub portam et unum post alium vocantes in vestibus et bursis quaesiverunt et argentum et aurum cujuslibet singillatim posuerunt, nullam tamen nudaverunt ex toto. Cum autem et ego accessissem, videntes me sacerdotem, nihil mecum egerunt, nec bursam, quam manifeste cingulo ferebam, aperuerunt, sed quasi pauperem, sicut de facto eram, (**126 a**) et sine perscrutatione dimiserunt. Sic et fratribus minoribus similiter fecerunt et ita cum bona pace tempestas illa transivit, videbatur enim mihi, quod tantum haberent taedium in quaerendo, sicut nos in sustinendo. Singulis autem restituerunt pecunias theloneum statutum inde accipientes. De quolibet autem homine octo postulabant madinos, quos tamen ab nostris religiosis et sacerdotibus non acceperunt, nulla enim thelonea a clero, etiam a Christiano, recipiunt. Laeti autem fuimus pro eo, quod exacte visitati non fuimus, quia multa pretiosa in auro et argento et lapidibus pretiosis et pannis sericis et balsamo

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;